



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Prælvdivm. De objecto, natura & partibus scientiæ Physicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

nem causa cognosceretur distinctè, cognosceretur etiam ipsius effectus: sed non cognoscitur eius effectus: ergo causa non cognoscitur distinctè.

Satisfit.

Respondeo, nego minorem; nam quamuis per primam demonstrationem causa cognoscatur solum

A confusè, per medium tamen examen mentis cognoscitur distinctè; neque tamen perfectè cognoscitur eius effectus, nisi per secundam demonstrationem: unde ad probationem minoris neganda est maior.



PHILOSOPHIÆ PERIPATETICÆ LIBER SECVNDVS.

PHILOSOPHIA NATVRALIS,

SIVE PHVSICA.

Ad vniuersæ Physicæ Aristotelis libros Acroamaticos.

PROLOGVS.



ATVRAM corpoream vniuersam, Philosophiæ partem eximiam, & pabulum animi longè iucundissimum tradere nunc aggredior, præteruectus sentes, & spineta omnia Dialecticæ, & ingressus in hortum pulcherrimum, iuxta & amœnissimum scientiæ Physicæ, quæ omnem complectitur doctrinam corporum, & totam speculatur visibilium rerum formam, sola ea cognoscens, quæ cerni oculis possunt, & plura videns in illis, quàm videre oculus possit. *Illam nimirum scientiam est (vt eleganter ait Synesius) quæ defossum in homine mentis oculum, sola eruit in lucem, vt purus ab omni cæno in Deum omnium effectorem desigere possit aciem, & perspicue latentem in creaturis pulchritudinem eius conspiciere.*

Est enim *ænigma sit rerum æternarum & immortalium, ac veluti oppansum æternitati velum*, tota hæc rerum vniuersitas, complexioque rerum corporearum (vt meditatur Tert.) sed reducto tamen in eam sipario attentius intuentibus æterna manifestat, & inuisibilia oculis cerni, ac propè manibus teneri facit. *Mundum hunc videlicet vniuersum S. Maximus, apud Cyparisi. decad. 10. appellat symbolum quoddam & inuolucrum Opificis Dei, sub quo latens vt videt omnia clarissimè, ita subobscurè solum videri potest. Sed nomina esse ac intelligentias inuisibilis Dei, omnia hæc, quæ conspiciamus, meritò asserit S. Dionysius: expressas eius similitudines, & tersissima specula, Gregorius Nazianz. Neque tantum umbram & fulgorem vltimum luminis eius, vt plerisque visum est Philosophis, inquit Ambros. lib. 1. Exham. cap. 3. sed insigne quoddam & gentilitium schema, totam refferens essentiæ præstantissimæ ac omnium primæ nobilitatem.*

In hoc igitur speculo, in hoc ænigmate, in hoc schemate sic intueri assuesce (mi Lector) miracula gestientis naturæ, vt oculos ab Authoris, quem celat, decore ac specie non auertas: *Vnde fiet, vt sapienter monet Picus lib. 7. Heptapli, vt natura tibi fiat gratia rudimentum, & illius scientia inchoatio religionis ac sanctitatis.*



PRÆLVDIVM.

De obiecto, natura, & partibus
Scientiæ Physicæ.

Nomen
Physicæ.



PHYSICÆ nomen à Græca, vt patet, origine deductum, satis indicat illam esse scientiam rerum naturalium, idest contemplationem, speculationemque naturæ. Tullius sanè Physicum appellat naturæ speculatorem, & venatorem; quamuis video Platonem vtiurpasse nomen hoc paulò latius lib. de Monarchia, pro tota specula-

trice Philosophia. Comparat enim Philosophiam totam hortu, cuius sepem ait esse Dialecticam, arbores Physicam, fructus Moralem. Damasc. verò initio suæ Physicæ, cap. 1. videtur Physicam pro tota etiam sumere Philosophia, cum sic eam definiat, *Est eorum, quæ sunt, quatenus sunt, cognitio; est humanarum, atque diuinarum rerum scientia; est mortis mediatio; est Dei imitatio; est ars artium, & scientia scientiarum.* Sed hæc vtrique acceptio latior est, & minus propria, quia iuxta veram & communem omnium sententiam Physica significat scientiam & contemplationem rerum corporearum, tum in communi, tum in particulari; de qua scientia præmittenda breuiter tria sunt: primò, quale sit obiectum eius, tum materiale, tum formale: secundò, qualis habitus illa sit: tertio, quas in partes diuidatur.

Quale sit Physica obiectum.

Triplex opinio.

Aliud est materiale, ut ex Logica constat, res minus extremum conclusionis scientificæ; aliud formale, ratio secundum quam consideratur, seu maius extremum demonstrationis, prout prebatur per tale medium. De hoc utroque obiecto non satis inter Authores convenit quale illud sit. Primò enim Scotistæ appellant illud ens mobile in communi, omnes videlicet substantias & accidentia, quibus potest convenire motus. Secundò Thomistæ volunt illud esse solum ens mobile materiale, prout illud significat substantiam quamlibet materialem completam aut incompletam, vel etiam accidens. Tertiò communior sententia ponit illud esse corpus naturale, intelligendo nomine corporis, compositum ex materia & forma; nomine naturalis, id quod habet in se principium motus & quietis.

Assertio prior de obiecto materiali.

Dico primò, materiale obiectum Physicæ non esse nisi corpus naturale.

Ratio est, quia illud solum est obiectum materiale primum alicuius scientiæ, quod propter seipsum consideratur, & alia propter ipsum: huiusmodi est solum corpus naturale respectu Physicæ: ergo solum illud est obiectum Physicæ. Minor probatur. Primò enim ens mobile in communi, prout continet Angelos & accidentia spiritualia, non consideratur à Physicæ, si non sit intra abstractionem à materia singulari propria Physicæ: entia spiritualia sunt extra totam illam abstractionem, ut patet: ergo ens mobile in communi non est obiectum Physicæ. Secundò ens materiale in communi, prout includit substantias incompletas & accidentia, non consideratur à Physicæ primariò & directè, si substantiæ incompletæ & accidentia considerentur duntaxat per ordinem ad substantiam completam, ad quam essentialiter dicunt ordinem; substantiæ autem incompletæ, & accidentia non nisi eo modo considerantur: ergo non possunt pertinere ad obiectum primum, sed reductivè duntaxat ad illud reuocari. Tertiò ergo restat ut sola substantia completa materialis primariò, & per se à Physicæ consideretur, atque adeò quod sola illa sit obiectum materiale primum huius scientiæ.

Assertio altera de obiecto formali.

Dico secundò, formale obiectum Physicæ non esse aliud, quam naturalitatem ut sic, atque ita obiectum adequatum esse corpus naturale, prout est naturale, seu prout habet in se principium radicale motus & quietis sensibilis.

Ratio.

Ratio est, quia obiectum formale scientiæ alicuius est illa ratio, quæ radix est omnium proprietatum, quas considerat illa scientia: sed naturalitas est radix omnium proprietatum corporis naturalis, quas considerat Physicæ; nam illa considerat essentiam & proprietates corporis sub abstractione à materia singulari, quæ omnes oriuntur à ratione naturalitatis, & sub eius nomine intelliguntur: ergo sola naturalitas est formale obiectum Physicæ. Deinde mobilitas, generabilitas, corruptibilitas, sensibilitas non possunt dici obiectum formale Physicæ.

Aca, quia præter motum considerantur à Physicæ etiam alia proprietates corporis naturalis, aptitudo ad quietem, quantitas, &c. Adde quod mobilitas est aliquid sequens naturalem velut proprietas: ergo illa non est quidditativa ratio huius obiecti. Deinde dari posset corpus incorruptibile; ergo neque corruptibilitas est formalis illa ratio quam inquirimus, neque sensibilitas; cum substantiæ, quæ non sunt per se sensibiles, considerentur etiam à Physicæ.

B Obicitur primò. Ens mobile materiale prout includit substantiam incompletam & accidens, est aliquid scibile ab aliqua scientia, cum habeat veras proprietates: sed non est scibile ab alia scientia quam à Physicæ, cum subit abstractioni, quæ propria est Physicæ, non autem Metaphysicæ: ergo est obiectum Physicæ, non autem corpus naturale.

Prima obiectio.

Respondeo distinguendo maiorem: ens mobile materiale est aliquid scibile primariò per aliquam scientiam naturalem, nego; est aliquid scibile secundariò, & per reductionem ad substantiam completam, concedo. Idem autem non est scibile primariò, quia substantia incompleta, & accidens non participant nisi secundariò rationem formalem obiecti Physicæ, nempe naturalitatem.

C Obicitur secundò. Ens materiale eodem modo esse debet obiectum Physicæ, quo ens immateriale, seu abstrahens à materia, obiectum est Metaphysicæ: sed ens immateriale prout dicit substantiam & accidens est obiectum Metaphysicæ, non autem sola substantia immaterialis completa: ergo ens materiale in communi est obiectum Physicæ.

Secunda.

Resp. non esse paritatem, quia tum substantia, tum accidens participant rationem formalem obiecti Metaphysicæ; nam utrumque primariò est ens: accidens autem non participat rationem formalem obiecti Physicæ, quia non est naturale ac mobile nisi secundariò, & ratione substantiæ completæ. Quod si veritas, dari debere unam scientiam, quæ consideret ens secundum omnes proprietates ortas à materia, sicut datur una scientia Metaphysica, quæ considerat ens secundum omnes proprietates, quæ abstrahunt à materia; concedam hoc posse fieri, & illam scientiam ferè coincidere cum Physicæ, & parum ab ea differre.

D Obicitur tertiò. Obiectum materiale cuiusvis scientiæ contrahi debet per obiectum formale: sed corpus non contrahitur per naturalitatem, cum utrumque pateat aequè late: ergo corpus non est obiectum Physicæ.

Tertia.

Respondeo distinguendo maiorem: obiectum materiale scientiæ debet contrahi realiter per obiectum formale, nego; debet contrahi ad aliquam considerationem, concedo; sicut mentis operationes cum ad Logicum spectent, & ad Physicum, per rectitudinem artificialem contrahuntur ad Logicam: sic corpus cum possit considerari ut sanabile, ut quantum, ut mensurabile, ut naturale, per naturalitatem contrahitur ad Physicam.

S. II.

Natura & proprietates habitus Physica.

Vtrum videlicet illa sit scientia, etiam diuersa à Metaphysica; vtrum speculatiua, vtrum vnica & totalis, plures habens sub se partes. Quæ ferè omnia colligi possunt ex iis quæ in simili ponebam initio Logicæ.

Assertio. Dico tertio, Physicam esse veram scientiam, speculatiuam, ab aliis distinctam, etiam à Metaphysica.

Physica est scientia. Primam partem negasse dicitur Socrates apud Lactantium *lib. 30. cap. 20.* quia cum intelligeret inueniri non posse naturalem, totum philosophandi studium ad mores conuertit. Sed ratio tamen perspicua est, quia vt aliquis habitus propriè sit scientia, requiruntur tria. Primo, vt notitias habeat certas, & euidenter; deinde vt sit discursiuus, denique vt mediâ demonstrationum illius non sint vniuersalissimæ, ac supremæ causæ, quia per hoc distinguitur ab habitu sapientiæ. Prima conditio Physicæ sine dubio conuenit, quæ procedit per principia necessaria, & per se nota, ex quibus conclusiones elicit infallibiles; de reliquis duabus conditionibus nihil est necesse dicere, quia Physica sine dubio discursiua est, & per causas procedit particulares & creatas: nihil ergo ei deest ad veram rationem scientiæ.

est speculatiua. Secunda pars asserens speculatiuam esse Physicam, non autem vlla ex parte practicam, à nemine negata est, quia ille habitus simpliciter est speculatiuus, qui vel considerat obiectum non operabile à se, vel obiectum operabile modo non operabili: huiusmodi est habitus Physicæ, qui multa considerat obiecta non operabilia per ipsum, vt celos, elementa, mixta; & multa considerat operabilia, v. g. operationes mentis, non tradendo regulas & præcepta de illis faciendis vel dirigendis, quod est considerare operabile modo speculatiuo: ergo Physica est speculatiua simpliciter.

Differt à Metaphysica. Tertia pars negatur ab Auerſa sentiente, Physicam & Metaphysicam non esse habitus distinctos; quem reiicio in prologo Metaphysicæ, quia nimirum differunt obiectis formalibus hæ scientiæ, habentque oppositas abstractiones.

Quinque illius partes. Dico quarto. Physicam esse scientiam vnâ totalem de corpore naturali, constantem ex pluribus habitibus partialibus specie diuersis, per-

A tinentibus ad eandem Physicæ scientiam, quam cum Philosopho diuidere commodè possumus in quinque partes. Prima considerat corpus naturale in genere, quam complexus idem Philosophus est libris quinque de *Physico Auditu*. Secunda considerat corpora simpliciter, ex quibus mundus componitur, quam explicat quatuor libris de *Cælo*. Tertia considerat corpora mixta in genere, de qua disputatur in duobus libris de *Ortu & Interitu*. Quarta est de mixtis inanimatis, tum imperfectis, vt sunt meteora; tum perfectis, vt sunt mineralia & alia huiusmodi, de quibus dicitur in quatuor libris *Meteororum*. Quinta est de mixto animato, quod explicatur in tribus libris de *Animali*.

Prima obiectio. Obiicitur primò contra id quod dixi, Physicam esse scientiam. Illa non potest esse scientia, cuius obiectum est res variabilis & corruptibilis: huiusmodi sunt res omnes naturales, quas considerat Physica: ergo illa non est scientia.

Respondeo, res naturales esse variabiles secundum actualem existentiam, quo modo non considerat eas Physica; sed esse prorsus inuariabiles secundum predicata essentialia, quo solummodo sunt obiectum Physicæ.

Secunda. Obiicitur secundò. Ille habitus non est scientia, qui multa cognoscit opinatiuè tantum, & per coniecturas: Physica cognoscit multa solum opinatiuè, ac per coniecturas; multarum enim rerum naturalium statum per solas coniecturas dignoscimus: ergo Physica non est scientia.

Respondeo, habitum illum, qui res naturales cognoscit solum opinatiuè, differre ab illa scientia Physica, quæ certò ac euidenter res easdem cognoscit; cum illi habitus habeant obiecta formalia diuersa, & subsint diuerso lumini; quamuis fatear quod ad eandem Physicam totaliter sumptam pertinere possunt ea quæ verè sciuntur, & ea quæ cognoscuntur solum opinatiuè; sic enim eadem Physica totalis est secundum quid scientia, & secundum quid opinio.

Tertia. Obiicitur tertio, Medicinam, Agriculturam, & Alchymiam esse partes Physicæ: illa sunt practicæ: ergo Physica est practica secundum aliquas sui partes.

Respondeo negando maiorem, nam Medicina, & alia subalternantur quidem scientiæ Physicæ, sed non sunt eius partes; idè enim tantum scientiæ sunt, quia sumunt suarum conclusionum præmissas vt probatas à Physica.

TRACTATUS PRIMVS.

De corpore naturali secundum se. Ad octo libros Aristotelis de Physico Auditu.



Tigitur de hac tota rerum materialium natura dicam clarissimè, methodum Philosophi sequutus ordior ab iis, quæ conueniunt generatim corpori cuilibet naturali. Primo enim quaeritur quænam sint partes, & principia ex quibus componitur. Secundo quid sit natura, per quam definitur. Tertio, quænam causæ, per quas existit. Quarto, proprietates eius quinque, quantitas, infinitas, locus, duratio, motus; in quibus explicandis hoc enitar, vt neque breuitas obsit claritati, neque prolixitas ingerat fastidium.

DISPVATIO